Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2827
Quelle:
Copyright:

VIII. *fol.* 48. p. 2. Eorundem Literae ad omnes Christi Fideles. Initium: *Sacra Synodus in spiritu sancto apud Basileam canonice congregata Presidente — Juliano* &c. *Veritatis magister ymmo ipsa ecclesia et incommutabilis veritas dominus noster ihesus christus* &c. Hortantur, ut in fide Catholica firmiter persistant, ab Haereticis caveant, eorum Scripta non legant, sed clausa ad Concilium mittant. Absunt Notae temporis, neque Literae hae aut apud *Labbeum*, aut apud *Mansium* leguntur.

IX. *fol.* 52. *Eugenii* IV. Literae ad *Sigismundum* Imp. de Dissolutione Concilii *Basil.* Initium: *Eugenius servus* &c. *Cum pastorali officio cui disponente domino presidemus* &c. *Datum Rome — Millesimo Quadringentesimo Tricesimo primo XV kal. Januarij Pontificatus nostri Anno primo.* In Collect. *suprac. col.* 736. et in Concc. *Harduini.* T. VIII. p. 1581.

X. *fol.* 53. *Sigismundi* Imp. Literae ad *Basileenses*, ne Concilium solvi patiantur. Initium: *Reuerendissimi* &c. *Hodie recepimus Bullam domini nostri pape* &c. *Datum Placencie die decima Januarij Regnorum nostrorum Anno Hungarie XLV. Roman. XXII. et Bohemie XII.* Subscriptus *Caspar Sligk*, notus ille *Aeneae Silvii Euryalus.* Extant in *Mansii Supplem.* T. IV. *col.* 241.

XI. *fol.* 54. Ejusdem Literae ad *Eugenium* IV. de eodem Negotio. Initium: *Beatissime pater* &c. *Hodie recepimus Bullam Vestre Sanctitatis* &c. *Datum placencie die Nona Mensis Januarij* &c. ut supra. In Collect. *Labb. col.* 752. *Hard.* T. VIII. p. 1596. Dies, ut vides, discrepant.

XII. *fol.* 55. *Auisamenta ad dominum Summum pontificem ex parte domini Roman. &c. Regis super facto Basilien. Concilij.* Initium: *Primo quemadmodum vestra Sanctitas in Bulla nobis transmissa notificat* &c. Videntur adjecta fuisse praecedentibus Literis, et extant apud *Labb. col.* 753. et *Hard.* p. 1597.

XIII. *fol.* 61. p. 2. Scriptum, ut e calce praeoccupo, *ex parte aliquorum in sacra pagina doctorum catholicorum.* Initium: *Universis christi fidelibus Regibus ducibus principibus* &c. *Curandum summopere et tota vigilancia considerandum est, quomodo et qui non sapiunt sapiant et qui sapiunt non desipiant* &c. Dirigitur contra *Libellum scandalosum*, ut dicitur, *transmissum principibus quibusdam et communitatibus ex parte perdicionis filiorum Procopij Smabors Korande Sanisz Smolich capitaneorum Bohemorum et aliorum complicum hereticorum*, et impugnat notos illos IV. *Articulos* magna vehementia. In fine subjicitur: *Hec scripta sunt vt credatis et vt credentes vitam eternam habeatis. Anno domini M° CCCC° Tricesimo.* Nescio, an alicubi editum.

XIV. *fol.* 73. Excerpta quaedam e Iure Canonico.

XV.